

« rent, ne Pontifex sua acta ad illius principis vel  
« gubernii, in cujus ditione versaretur, voluntatem  
« conformaret, atque idcirco actis illis, hoc praetextu,  
« saepius refragari non dubitarent. »

## TRACTATUS DE LOCIS THEOLOGICIS

---

1. Stabilito semel totius Theologiae principio fundam-  
mentali, jam singulas veritates theologicas expendere  
convenit. Sed antea praestat paucis investigare fontes  
ex quibus depromuntur, tum veritates expendendae,  
tum argumenta quibus demonstrari et explanari  
valeant: qui fontes, dicuntur *loci theologici*, quia ex  
eis oritur omnis theologica cognitio.

Fons autem theologicae cognitionis duplex est:  
*verbum divinum*, quod est fons primarius, et *ratio  
naturalis*, quae est fons secundarius.

*Verbum divinum* est fons primarius; quia theolo-  
gus suas assertiones stabilire nititur, demonstrando  
eas, vel fuisse revelatas, vel esse cum revelatis con-  
nexas. Porro veritates revelatae in verbo divino  
continentur.

*Ratio naturalis*, sumpta pro collectione veritatum  
lumine naturali cognoscibilium, est aliquatenus fons  
cognitionis theologicae. Utitur siquidem theologus  
hiscе veritatibus, sive ad stabiliendum factum revela-  
tionis, sive ad singula dogmata demonstranda, expli-  
canda et ordinanda, sive ad conclusiones ex eis eru-  
endas, sive ad solvendas objectiones.

Dicendum igitur de utroque loco theologico. Cum  
autem Verbum divinum reperiatur, et in Scriptura



sacra, et, extra Scripturam, in Traditione, hinc triplex erit dissertatio : 1<sup>a</sup> de Scriptura sacra, 2<sup>a</sup> de Traditione, 3<sup>a</sup> de Ratione naturali.

## DISSERTATIO PRIMA

### DE SCRIPTURA SACRA

2. Investigationes de Scriptura sacra, prout est fons theologicus, spectant 1<sup>o</sup> ejus inspirationem, 2<sup>o</sup> collectionem librorum inspiratorum, 3<sup>o</sup> auctoritatem Vulgatae editionis, 4<sup>o</sup> usum Scripturarum in theologicis disquisitionibus. Ad quae elucidanda septem erunt quaestiones.

#### QUAESTIO I<sup>a</sup>

Utrum Scripturae sacrae libri integri, cum omnibus suis partibus, sint divinitus inspirati?

(Vide Mazella : *de Virt. inf.*, n. 949 et 962. — Franzelin : *de Script. sacra, sect. 1, cap. 1, theses, 1, 3, 4.*)

3. Resp. Tria praenotanda sunt.

1<sup>um</sup> de nomine *Scripturae sacrae*. — Hoc nomine significantur Libri illi quos Ecclesia habet uti divinitus inspiratos. Librorum illorum collectio nuncupatur etiam *Scriptura Dei, Scripturae sanctae, sacrae Litterae, Lex, Testamentum* : sed communius *Biblia sacra*, vel simpliciter *Biblia*.

2<sup>um</sup> de conceptu generali *inspirationis*. — Libri

illi dicuntur *inspirati*, qui sunt divini, non tantum *ratione materiae*, sed etiam *ratione auctoris*; in quantum Deus sit revera eorum auctor, supernaturali quadam et extraordinaria operatione in hominem scribentem recepta, cujus operationis naturam infra scrutabimur.

3<sup>um</sup> *de erroribus confutandis*. — Primus error, est eorum qui omnino negant Scripturae inspirationem, et ideo censent eam non aliter quam *ratione materiae* divinam esse. Ita Sociniani, Arminiani, iique omnes qui ex Protestantismo ad Naturalismum aut Rationalismum deflexerunt. Secundus error, est eorum qui inspirationem coarctant ad res majoris momenti. Ita Erasmus, Grotius, Episcopus, et plures inter Anglicanos Episcopales, qui se orthodoxos vocant, imo et quidam Catholici ad Rationalismum aliquatenus propensi.

4. Contra quos, dico 1<sup>o</sup> : *Scriptura sacra non tantum ratione materiae est divina, sed etiam ratione auctoris.*

1<sup>o</sup> *Illud est de fide*, utpote definitum a conciliis Trid. et Vatic. Etenim, Conc. Trid., sess. IV, sic se habet : « Sacrosancta oecumenica et generalis Tridentina synodus.... omnes Libros tam veteris quam « novi Testamenti, cum utriusque unus Deus si auctor..... pari pietatis affectu et reverentia suscipit ac « veneratur..... Si quis autem Libros ipsos integros, « cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesia catho- « lica legi consueverunt.... pro sacris et canonicis « non susceperit... anathema sit. »

Conc. Vatic., sess. III, constit. *Dei Filius*, cap. 3, ait : « Supernaturalis revelatio, secundum universalis



« Ecclesiae fidem a sancta Tridentina synodo declaratam, continetur in Libris scriptis, et sine scripto Traditionibus. .... Qui quidem veteris et novi Testamenti Libri, integri, cum omnibus suis partibus, prout in ejusdem concilii decreto recensentur. .... pro sacris et canonicis suscipiendi sunt. Eos vero Ecclesia pro sacris et canonicis habet, non ideo quod sola humana industria concinnati, sua deinde auctoritate sunt approbati; nec ideo, duntaxat, quod revelationem sine errore contineant; sed propterea quod, Spiritu sancto inspirante conscripti, Deum habent auctorem, atque ut tales ipsi Ecclesiae traditi sunt. » Et can. 4: « Si quis sacrae Scripturae Libros integros, cum omnibus suis partibus, prout illos sancta Tridentina Synodus recensuit, pro sacris et canonicis non susceperit, aut eos divinitus inspiratos esse negaverit; anathema sit. »

Definitio itaque Vaticana Tridentinam elucidat et complet, declarando quo sensu Libri Scripturae pro sacris et canonicis habendi sint, videlicet: non quia eos Ecclesia simpliciter approbaverit, nec quia revelationem sine errore continent, seu, quia sunt divini *ratione materiae*; sed quia tales sunt *ratione auctoris*, id est, Deum habent auctorem. Nihil clarius desiderari potest.

2<sup>o</sup> *Prob. Scriptura sacra.*

Scripturae sacrae testimonium hic accipitur, non velut inspiratum a Deo, sed quatenus doctrinam revelatam authentice refert. Jam vero:

1<sup>o</sup> Scriptores sacri multoties affirmant, se ex divino impulsu ac jussu scribere. Sic in Exodo (xvii, 14) dicitur Deum praecepisse Moysi: *Scribe hoc ob mo-*

*numentum in libro.* — Isaias (i, 2) *Audite, caeli, et auribus percipe, terra, quoniam Dominus locutus est.* — Jeremias (i, 4) *Et factum est verbum Domini ad me dicens.* — Ezechias (xxiv, 2, 3) *Fili hominis, scribe tibi nomen diei hujus... et loqueris ad eos: haec dicit Dominus Deus.* — Habacuc (ii, 2) *Scribe visum et explana eum super tabulas.* — Joannes (Apoc., i, 10) testatur se jubente Deo scripsisse Apocalypsim: *Audivi... vocem... dicentis: Quod vides scribe in libro, et mitte septem ecclesiis.*

2<sup>o</sup> Christus et Apostoli pluries asserunt Deum per Scriptores sacros locutum esse. Sic Christus (Matt. xx, 43): *Quomodo David in Spiritu vocat eum Dominum suum?* — B. Petrus (Act. i, 16): *Oportet impleri Scripturam, quam praedixit Spiritus sanctus per os David.* Idem (I Ep., 19, 26): *Habemus firmiorem propheticum sermonem; cui bene facitis attendentes.... hoc primum intelligentes, quod omnis prophetia Scripturae propria interpretatione non fit. Non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia, sed Spiritu sancto inspirati, locuti sunt sancti Dei homines.* Ibi certe agitur de prophetico sermone tunc existente sub forma permanente, ut indicat tempus praesens, *habemus*; et de sermone qui reperitur in Scripturis sanctis Judaeorum, ut patet ex verbis *prophetia Scripturae*; et asseritur eorum sermonum auctores Spiritu sancto inspirante locutos esse. — B. Paulus (II Tim., iii, 14, 16) sic discipulum alloquitur: *Quia ab infantia sacras Litteras nosti, quae te possunt instruere ad salutem... Omnis Scriptura divinitus*



*inspirata utilis est ad docendum...* Illae Litterae, quas Timotheus ab infantia didicerat, sunt certe Libri, qui uti sacri et canonici apud Judaeos habebantur, et de illis dicit Apostolus : *Scriptura divinitus inspirata utilis est.* In textu graeco legitur : *Omnis Scriptura est divinitus inspirata, et utilis est.*

3° *Probatur Traditione.*

Constat penes Hebraeos, sub nomine Scripturae sacrae, extitisse collectionem Librorum qui, ex communi fide, habebantur veluti per specialem et supernaturalem inspirationem conscripti. Quam Traditionem testatur Josephus Flavius (Ad Appionem l. 1. n. 8), et praesertim Philo, qui de Scriptoribus sacris dicit (De profugis, p. 479) : « Quorum ore Pater universorum oracula edidit » ; et (De Cherubim, p. 116) : « Qui in persona Dei oracula ediderunt inspirati » ; et (De confus. linguar., p. 326) : « Qui locuti sunt Numine inspirati. »

Eandem Traditionem, pro Libris tum veteris tum novi Testamenti, apud Christianos constanter viguisse testantur : a) *verba Patrum* frequenter asserentium Scripturam sacram habuisse Spiritum sanctum auctorem ; vel eam esse Epistolam Omnipotentis Dei ad creaturam suam ; vel Spiritum sanctum in Scripturis loqui ; vel Scriptores sacros esse Spiritus sancti instrumenta, et quasi calamos ; b) *praxis Ecclesiae*, quae verba Scripturae tanquam formaliter verba Dei adhibere consuevit, tum in officiis liturgicis, tum ad fideles edocendos, dogmata stabilienda, haereticosque convincendos ; c) *confessio haereticorum*, qui verba Scripturae in suas sententias detorquere conati sunt, etiam sibi adversantia ; sed nunquam ea traduxerunt

veluti humana verba ; d) *definitiones allatae ex conc. Trid. et Vatic.*

5. Dico 2° : *Nulla est Librorum sacrae Scripturae pars quae non fuerit divinitus inspirata.*

Contra Grotium et alios qui inspirationem coarctant ad res majoris momenti.

Prob. 1° *definitionibus Trid. et Vatic.*

Haec enim concilia, ut videre est n. 4, definiunt Libros veteris et novi Testamenti *omnes integros cum omnibus suis partibus*, pro sacris et canonicis suscipiendos esse. Conc. autem Vatic. declarat eos libros esse canonicos *qui Deum habent auctorem* ; et decernit eos *cum omnibus partibus suis... esse divinitus inspiratos.*

Prob. 2° *Scriptura sacra.*

Equidem, per solam Scripturam non potest ostendi quinam Libri in ea includantur, seu, quot et qui sint libri inspirati ; solide tamen probatur Libros omnes qui ad sacram Scripturam pertinent, integraliter fuisse inspiratos.

1° Apostoli et Evangelistae ad sacram Scripturam appellantes, ut suam doctrinam verbo Dei confirmarent, textus afferunt indiscriminatim ex omni Libro aut ejus parte, sub hac generali formula : *Scriptum est.* Quo aperte supponunt, omnes textus esse ejusdem auctoritatis divinae. Si ergo quidam habent auctoritatem ex inspiratione, idem dicendum de aliis.

2° B. Paulus (II Tim. III, 14, 16) simpliciter dicit : *omnis Scriptura divinitus inspirata*, et per Scripturam intelligit evidenter *sacras Litteras*, quas refert Timotheum ab infantia novisse, seu, omnes Libros qui



tunc uti sacri reputabantur, et sub nomine Scripturae designari solebant.

3<sup>o</sup> B. Petrus (II Ep., I, 19, 21) dicens: *Omnis prophetia Scripturae propria interpretatione non fit*, rationem hanc affert: *Spiritu sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines*. Jam vero, verba *omnis prophetia Scripturae* indicant omnes Libros sacros quorum collectio vocatur Scriptura. Vox enim *prophetia*, apud Hebraeos, significat quemcumque sermonem Deo inspirante prolatum; sicut vox *propheta* applicatur cuicumque Scriptori sacro. Inde fit quod auctores prophetici sermonis vocentur in eodem textu modo generali *Sancti Dei homines*. De caetero, B. Petrus loquitur de *prophetia Scripturae*, quatenus Christi et Evangelii mysteria confirmat. Sed ea mysteria confirmantur, non tantum oraculis Librorum proprie prophetorum, sed iis etiam quae reperiuntur in Libris historicis et moralibus. Ergo, juxta B. Petrum, omnes Scripturae sacrae Libri sunt aequaliter inspirati, et quidem integraliter; dicens enim: *omnis prophetia Scripturae*, comprehendit quidquid in Scriptura continetur.

Prob. 3<sup>o</sup> *Traditione judaea et christiana.*

Notum est, apud Judaeos, tantam viguisse erga Scripturae sacrae Libros venerationem, ut tanquam nefas existimarent quidquam eis demere aut in eis mutare.

Eadem fuit totius Ecclesiae christianae sollicitudo, apud quam, vel minima Scripturae corruptio, uti illata sancto Spiritui injuria, damnaretur. Insuper, ex quocumque Scripturae sacrae textu, Patres et theologi assueverunt conficere argumentum, quo con-

cluderent, vel illud esse de fide divina, quod in verbis Scripturae formaliter significatum existimabant, vel illud esse *theologicè* certum, quod ex illis logice deducebatur. Jam vero, sensus ille communis Judaeorum atque Christianorum satis ostendit, nemini aliquando notam fuisse adversariorum distinctionem inter textus inspiratos et textus non inspiratos. Et tamen, si admittenda foret distinctio hujusmodi, id non potuisset ignorari, et datae fuissent regulae ad praefatos textus ab invicem discernendos; valde siquidem interest scire, quinam textus auctoritate gaudeant divina, quinam non; et hoc eo magis interest, quod nonnulli hanc distinctionem propugnant, quia, juxta eos, textus non inspirati possunt esse falsi, et sic existimant solvendas esse difficultates, quas ex scientiarum progressibus, aut ex historia, Increduli contra Libros sacros quotidie movent.

Prob. 4<sup>o</sup> *ex Patribus.*

Multi, inter Patres, directe objurgant eos qui dicunt non omnia esse in Scripturis inspirata, eo quod nonnulla reperiri possint falsa. Sic S. Justinus (Dial. cum Triphone, n. 65), objicienti dari Scripturas inter se pugnantem, respondet: « Id nunquam audebo nec cogitare, nec dicere; sed, si qua proponatur Scriptura quae hujusmodi esse videatur..., fatebor potius me non intelligere quae dicuntur. » — S. Greg. Nazianzenus (Or. 2. De fuga sua, n. 108): « Nos qui perfectam veritatem Spiritus, etiam usque ad levem apicem et lineam extendimus, non concedimus, neque enim fas, vel res minimas a Scriptoribus esse temere positas. » — S. Basilius (Hom. 10 in hexam.) docet: « intolerabilem et gravem blasphemiam esse vel unum



« verbum otiosum in sacra Scriptura admittere ». — S. Aug. (p. 82 ad Hierony., n. 3) fatetur se « Scripturarum Libris qui jam canonici appellantur... hunc « timorem honoremque deferre, ut nullum eorum « auctorem scribendo aliquid errasse firmissime credere » ; et addit : « Si aliquid in eis offendero Litteris, quod videatur contrarium veritati, nihil aliud « quam, vel mendosum esse codicem, vel interpretem « non assecutum esse quod dictum est, vel me minime « intellexisse non ambigam... De quorum (scriptorum « sacrorum) scriptis, quod omni errore careant dubitare nefarium est. » Atqui, Patres non alia ratione affirmant Libros sacros ab omni prorsus errore immunes, nisi quia credunt eos in omnibus suis partibus inspiratos fuisse.

Prob. 5<sup>o</sup> *ratione*.

Sententia quam hic impugnamus id habet periculi, quod nulla detur regula certa ad discernendum textus inspiratos a non inspiratis. Dicunt quidem inspirationem extendi ad solas partes dogmaticas, vel cum dogmate nexus. At, non operosum foret ostendere partes vel minimas Scripturae cum dogmate aliquatenus connecti ; quia ad meliorem veritatum divinarum manifestationem ordinantur. E contra, novatores tali distinctione facile abuterentur ad eludenda multa Scripturae testimonia sibi contraria. Dicendum igitur quidquid in Scriptura continetur, jam eo ipso fieri dogmaticum, quia est veritas a Deo nobis revelata ; ac proinde cum omnimoda mentis submissione credendum est. Parum autem refert in Scripturis rerum etiam minimarum mentionem haberi. Illae siquidem res minutae, ut advertit P. Casini (Encyclop. S. Script.

disp. praev. 11), comparandae sunt dentibus, capillis, unguibus in humano corpore. Si ea ab hoc separantur, vilia et inutilia sunt ; at, dum ipsi inhaerent, ejusdem integritatem decoremque perficiunt.

#### QUAESTIO II<sup>a</sup>

In quo praecise consistat Librorum sacrorum inspiratio ?

6. Resp. Qui Scripturae sacrae libros, etiam in omnibus partibus, inspiratos fuisse confitentur, non eodem modo hanc inspirationem explicant.

1<sup>o</sup> Alii dicunt sufficere testimonium aliquod de Libro jam confecto, et quod *inspirationem consequentem* vocant. Nempe : quando liber, humana industria confectus, obtinet Ecclesiae testimonium infallibile de sua veracitate, jam dici potest inspiratus. In hac sententia fuere Haneberg et Movers.

2<sup>o</sup> Lessius huic sententiae accedere videtur. Sequentem enim statuit propositionem : « Liber aliquis (qualis forte est secundus Machabaeorum) humana industria, sine assistentia Spiritus sancti scriptus, si Spiritus sanctus postea testetur nihil ibi esse falsum, efficitur Scriptura sacra. » Juxta Lessium igitur, approbatio Ecclesiae non sufficeret, sed sufficeret Spiritus sancti, etiamsi liber sine Spiritus sancti assistentia concinnatus esset. Ille autem theologus, in sua epistola ad archiep. Mechliniensem, asserit se loqui de libro humana quidem industria sed *ex divino instinctu* composito ; et insuper se meram hypothesim, non factum proposuisse.

3<sup>o</sup> Alii, ad divinam inspirationem dixerunt requiri et sufficere meram assistentiam divinam, qua scripto-



res ab errore praeservarentur. Ita Marcus Antonius de Dominis (De resp. Christi, lib. VII, a. 1), Henricus Holden, doctor Sorbonicus (Divin. fidei analys. l. I, c. v), et recentius Joannes Jahn (Introd. ad divinos Libros V. T., edit. 2<sup>a</sup>, t. I, § 19).

4<sup>o</sup> Alii demum theologi, in saeculo XVI praesertim, docuerunt sacram Scripturam divinitus fuisse inspiratam, etiam quoad verba et stylum, et quidem in omnibus suis partibus.

7. **Contra quos, dico 1 :** *Ad proprie dictam inspirationem non sufficiunt, neque approbatio subsequens Ecclesiae aut Spiritus sancti, neque simplex assistentia.*

1<sup>a</sup> pars : *Non sufficit approbatio subsequens.*

Etenim, 1<sup>o</sup> Conc. Vatic. de Scripturae sacrae libris dicit : « Eos Ecclesia pro sacris et canonicis habet, non « ideo quod sola humana industria concinnati, sua « deinde auctoritate sunt approbati. » Ergo simplex Ecclesiae approbatio non sufficit. At idem conc. addit eosdem Libros esse « sacros propterea quod, Spiritu « sancto inspirante conscripti, Deum habent auctorem. » Porro Libri a Spiritu Sancto simpliciter approbati, dici nequeunt Spiritu sancto inspirante conscripti, et habere auctorem Deum.

2<sup>o</sup> Praeterea, inspiratio, ex dictis, essentialiter supponit librum esse divinum, non tantum ratione materiae, sed ratione originis. Atqui, liber humana industria scriptus, imo liber ex divino quodam instinctu, sed sine Spiritus sancti assistentia compositus, immerito diceretur divinus ratione originis ; ubi enim Spiritus sanctus non intervenit, saltem ad mentem et manus scribentis dirigendas, ne in scribendo erret,

non est vere libri auctor ; nam quomodo esset auctor libri in quo error posset reperiri ?

Objicitur : Rex fit auctor legis, illam approbando ; ergo a pari Deus fit auctor libri, illum approbando. Respondeo : Magna est inter legem et librum disparitas. Lex enim habet formalem rationem legis, seu, vim obligatoriam, ex regis approbatione. At nunquam rex reputatur auctor scripti, seu, libri legem continentis, propter simplicem libri approbationem ab eo datam ; sed ad hoc aliquid amplius requiritur, nimirum : ut, si ipse non scribat, saltem moveat ad scribendum et suggerat scribenda.

2<sup>a</sup> pars : *nec sufficit simplex Dei assistentia.*

Etenim 1<sup>o</sup> tunc liber est inspiratus, quando Deus est illius auctor, non solum ut causa universalis, sed ut causa particularis ; nam Deus, ut causa universalis, est auctor omnis entis creati, et de hac causalitate hic non agitur. At Deus libri cum sola sui ipsius assistentia conscripti non est auctor uti causa particularis. Auctor enim hujusmodi habet veram causalitatem efficientem, et haec efficiens causalitas importat positivum ac specialem influxum in effectum, vi cujus effectus ille alteri causae principali non tribuatur. Jam vero assistentia simplex non includit hujusmodi influxum, sed homini scribenti omnem servat causalitatem, qua vere dicitur auctor, seu, causa principalis libri, et solummodo eum scribentem protegit ne scribendo in errorem impingat.

2<sup>o</sup> Praeterea, ex communi theologorum consensu, decreta dogmatica ab Ecclesia docente prolata, sunt equidem, ratione assistentiae divinae, infallibiliter vera, non vero divinitus inspirata, secus, jam ad



Scripturam sacram pertinerent. Ergo, ad inspirationem simplex assistentia divina non sufficit.

8. Dico 2° : *Non videtur admittenda inspiratio verbalis, quoad omnes Librorum sacrae Scripturae partes.*

Haec conclusio est hodie communissima.

In tantum enim inspiratio verbalis esset admittenda, in quantum esset de jure necessaria ad essentiam inspirationis, vel quia, de facto constaret eam extitisse, Atqui neutrum dici potest.

1° *Inspiratio verbalis non est, de se, ad rationem inspirationis necessaria.*

Sufficit enim ad rationem inspirationis ut revera Deus censi debeat auctor libri inspirati. Ad hoc autem inspiratio verbalis minime requiritur. Nam, ut quis censeatur alicujus libri auctor, requiritur, sed sufficit quod ipsi tribuatur *formale* libri, seu, id sine quo liber non esset qualem auctor esse voluit, non vero ut ei tribuatur id sine quo liber talis remanet qualem auctor intendit eum esse, et quod vocari potest *materiale* libri. Jam vero, *formale* libri, seu id sine quo aliquis liber non talis esset qualem intendit auctor, sunt equidem res et sententiae; at verba et stylus, non semper. Quoties siquidem haec vel illa verba, hic vel ille stylus apta sunt ad fideliter exprimendos auctoris conceptus, non sunt nisi *pars materialis* libri, nec oportet ut auctori tribuantur. Ergo ad rationem inspirationis inspiratio verbalis non est de se necessaria.

Praeterea, supposita necessitate inspirationis verbalis ut habeatur liber vere inspiratus, jam dicendum erit non legi proprie et perfecte verbum Dei, nisi in

originali textu. In omni enim versione verba assumuntur ab interprete ex proprio judicio et propria electione, non vero ex inspiratione divina. Atqui tamen, certum est Ecclesiam declarasse (C. T. sess. 4; C. Vatic.) in versione quae nuncupatur *Vulgata* possideri vere ac perfecte verbum divinum. Ergo rursus inspiratio verbalis necessaria non videtur.

2° *Non constat inspirationem verbalem, de facto, admittendam esse in singulis partibus Librorum sacrorum.*

Cum enim ex solo facto inspirationis id jure non concluditur, speciali indigeret probatione. Atqui deficit illa probatio. Equidem, quandoque Patres in ipsa verborum vi insistunt, sed id independenter ab inspiratione verbali optime explicatur: sive quia, ex dicendis, nonnunquam verba ipsa pertinent ad formalem rationem libri, et ideo fuerunt inspirata; sive quia, juxta omnes, in verborum electione, specialis intervenit Dei assistentia. At, pluribus in locis, Patres asserunt « non verba in Scripturis consideranda, sed « sensum », ut S. Hieron. (Ep. 57 ad Pammachium, n. 10).

Et revera, merito praesumendum est Deum verba non indesinenter inspirasse, sed res et sententias tantum. Id quippe innuunt styli diversitas, juxta naturalis ingenii diversitatem in Scriptoribus sacris, defectus contra linguam graecam qui in novo Testamento observantur, et diversitas etiam verborum quibus Evangelistae referunt eosdem sermones, quamvis uno modo tantum prolati sint, v. g. verba Christi Eucharistiam instituentis.

Dixi : *quoad omnes Librorum sacrorum partes.*



Non enim negandum est Deum *aliquando* verba ipsa inspirasse, quoties, videlicet, *talia verba* necessaria erant ad divinum conceptum fideliter exprimendum. Tunc illa verba pertinent ad formalem partem libri: v. g. haec verba Dei sic seipsum definientis: *Ego sum qui sum*; aut verbum graecum εγω quo Evangelistae in graeco sermone utuntur pro forma consecrationis panis a Christo adhibita.

9. Dico 3<sup>o</sup>: *Inspiratio dicitur merito haec supernaturalis et extraordinaria Dei operatio in hominem, vi cuius homo, tanquam causa instrumentalis, conceptus divinos verbo fideliter exprimit.*

In qua definitione 1<sup>o</sup> indicatur finis inspirationis, qui est conceptus divinos exprimendi. Verbum enim hominis inspirati jure vocatur verbum divinum exterius prolatum. Porro verbum exterius prolatum est essentialiter conceptuum manifestatio. Ergo, si sit verbum Dei, erit manifestatio conceptuum divinorum. Homo itaque inspiratus, quamvis habeat proprium conceptum rei et sententiae quam profert, hunc tamen conceptum non uti sibi proprium manifestat, sed tanquam conceptum divinum sibi extraordinarie, veluti instrumento, communicatum ad hunc finem ut caeteris innotescat.

2<sup>o</sup> In eadem definitione indicatur medium quo utitur Deus, ad proprios conceptus, per hominem quasi per instrumentum, caeteris patefaciendos. Est illud medium Dei operatio supernaturalis et extraordinaria. *Supernaturalis* quidem, eo quod sit supra exigentiam et vires naturae; *extraordinaria* vero, id est, huic absimilis qua Deus, tanquam causa universalis, juxta

leges suae Providentiae ordinarias, concurrat ad actus supernaturales creaturarum; inspiratio enim fit praeter has leges ordinarias.

Deus autem, praeter has leges, multipliciter operatur, nempe: revelatione, assistentia aut inspiratione. Inspiratio a duabus prioribus differt: ab assistentia quidem, quia assistentia hominem simpliciter ab errore praeservat, quod ad inspirationem non sufficit, ex jam probatis; a revelatione etiam, revelatio enim includit tantummodo manifestationem rei per locutionem formalem, qua Deus suos conceptus manifestat alicui; sed inspiratio praeterea extraordinarie movet ad eos caeteris patefaciendos.

Restat ut investigetur in quo consistat motus ille extraordinarius impellens ad divinos conceptus caeteris manifestandos. Sane, est motus excellentior atque efficacior eo quem Deus dat tanquam causa universalis, seu, juxta leges ordinarias. Quando Deus movet ut causa universalis, sese naturali creaturae suae imbecillitati accommodat. Sic, v. g. homini quem aliqua supernaturali revelatione illustravit, potest Deus injungere ut hanc revelationem caeteris communit. At illa injunctio, extra casum inspirationis, fit juxta leges Providentiae ordinarias, id est: hominem ad revelationem caeteris communicandam ita movet, ut ipsius nativae defectibilitati sese accommodet; unde nonnunquam accidit hominem jussioni non obtemperare, aut etiam, jussioni obtemperando, ob memoriae vel intellectus infirmitatem, aliquid omittere ex iis quae Deus ipsi mandavit, vel aliquid eis addere, aut demum iis uti terminis qui non satis fideliter conceptus divinos exprimunt. At nihil tale reperitur quando